44

Hispalen. Canonicatus super Articulo Concessionis Gratiæ ex integro prætensæ à D. Ascentio Polo.

Illme, & Rme Dñe. PResupposita Facti serie Reuerendissimis PP. expositâ super obreptione, & subreptione literarum Apostolicarum, quibus vsque de Anno 1709. prouisus fuit Dominus Ascentius Polo de Canonicatu, & Præbendâ in Sanctâ, & Patriarchali Ecclesiâ Hispalen., Aduersarius pòst deuolutam causam in gradu Appellationis ad hanc Congregationem particularem ex speciali Commissione manu Sanctissimi signatâ, de qua in *Summ. Additionali num.*2. agnoscere cępit patentes Gratiæ Apostolicæ subreptiones, & obreptiones, & proindè de consilio suorum Defensorum porrigere fategit in Dataria Apostolica supplicationes prò dictæ Gratiæ sanatione; Et quoniàm Aduersarius est tanta ignorantiâ oppressus, vt nequiuerit à suis Defensoribus induci ad patefaciendam veritatem ad hoc, vt eidem aliquâm perfectâm Gratiâm sanatoriâ consulere potuissent; hìnc licèt cor. Executore Apostolico iudicialitèr, & medio iuramento declarasset, quod ipse de tempore, quo prouisus fuit de controuerso Canonicatu, possideret tres perpetuas Cappellanias sibi ordinariâ auctoritate collatas, vt ex *Summ. principali num.*14., nihilominùs immemor de confessione emissâ coràm Executore Apostolico, illis supposuit, quod tùnc temporis duas Cappellanias possideret, & proindè porrecta fuit in Dataria Apostolica supplicatio, qua Aduersarius supplicabat, vt sibi concederetur Griatia *Perinde valere* proptèr omissam expressionem duarum Cappellaniarum, quas de tempore prouisionis possidebat, perinde ac sì in Gratia Canonicatus expressisset, quod eo tempore dictas duas Cappellanias possideret, *vt ex Summ. Additionali num.*3., & etiam supplicabat, vt Gratia Canonicatus eidem suffragaretur à die, quo sibi concedi obtineret præcitatam Gratiam *Perindevalere d. Summ. Additionali num.*3.

Intereà verò comparuit D. Michael Curiel Nobilis, & filius Regij Consiliarij Serenissimi Regis Catholici, & supplicauit Sanctissimo D. Domino Nostro prò Gratia dicti Canonicatus vacantis, siuè ex eo quod Gratia Aduersarij esset nulla ob non factam expressionem Beneficiorum, quæ possidebat de tempore prouisionis dicti Canonicatus, siuè ex eo, quod D. Ascentius Polo falsò asseruerat

rat

rat Summo Pontifici in prædicta Gratia, quod esset de nobili genere procreatus, cum tamèn non esset dè asserto genere procreatus; Cumque in Dataria Apostolica appositum fuisset ex parte Reuerendissimi Capituli *nihil transeat* ad effectum, nè Aduersario aut Gratia reualidatoria præcedentis, aut prouisio ex integro dicti Canonicatus sinè causæ cognitione concederetur; hìnc Aduersarius citauit me vti Procuratorem Reuerendissimi Capituli, ac etiàm citauit Procuratorem dicti D. Curiel, qui paritèr *Nihil transeat* apposuerat, ad effectum, vt laceraretur supplicatio porrecta à dicto D. Curiel, & relaxaretur supplicatio *Perindevalere*; vt ex tenore citationis *d. Sum. Addit. n.* 4, factoque contradictorio, & adductis ex parte Rmi Capituli rationibus, ex quibus D. Ascentio non erat concedenda Gratia *Perindevalere*, & adductis etiàm rationibus ex parte d. D. Curiel, qui probabat esse relaxandam suam Gratiam, Eminentissimus Prodatarius in formali Partium Iudicio decreuit, *vt exquireretur Votum huius particularis Congregationis, coràm qua pendebat Causa supèr negocio principali, an esset signanda fauore dicti D. Ascentij Gratia Perindeualere, vel an esset signanda supplicatio ez parte dicti D. Curiel porrecta, vt ex Summ. Additionali num.* 5.

Eâdem die, quo peractum fuit contradictorium, agnouit Aduersarius Gratiam Perindeualere ab ipso porrectam, sibi non posse suffragari, ex quo contrà veritatem etiàm in hac Gratia expresserat, quod ipse dè tempore prouisionis controuersi Canonicatus possideret duas Cappellanias perpetuas, & collatiuas, dum coràm Executore Apostolico fassus fuerat, quod tres erant Cappellaniæ, quas tùnc possidebat, *vt ex Sum. principali n.* 14., quodque vlteriùs non supplicauerat sanari quoque defectum irreptum in prima Gratia, in qua narrauit ipsum esse dè nobili genere procreatum, cum tamèn non esset dè tali nobili genere; hinc nouam porrexit supplicationem *Perindeualere*, qua supplicabat, vt prima Gratia sibi suffragaretur perindè, ac sì in ea expressisset, quod se tùnc possidebat tres Cappellanias, & perindè ac sì non narrasset esse de Nobili genere procreatum, *Summ. Additionali num.* 6., & paritèr in hac noua supplicatione postulabat, vt Gratia dicti Canonicatus sibi suffragaretur à die, quo hæc noua sibi concedetur *dicto Summ. num. 6. litt. N.*

Consultus subindè Aduersarius, quod neutra ex dictis Gratijs sibi poterat suffragari, tàm ex eo quod quotiès Gratia est indubitanter nulla, tùnc illa sanari non potest mediante Gratiâ *Perindevalere*, sed necessaria est prouisio ex integro; tùm quià in neutra ex dictis Gratijs veritatem expresserat, nàm non expresserat, quod duæ ex dictis Cappellanijs erant sub eodem Tecto, quodque dè illis prouideri obtinuerat ordinaria auctoritate, sinè Apostolica Dispensatione, itaùt earum prouisio esset nulla ex dispositione

Sac-

Sac. Concilij Tridentini, quodque propterea absque Titulo legitimo fructus earum perceperat, multoque minus expresserat, quod tertiam Cappellaniam sibi conferri obtinuerat eâdem Ordinariâ auctoritate, pariter sinè Dispensatione Apostolicâ, & agnoscens proinde non solũ indigere nouâ prouisione Canonicatus, sed etiàm nouâ prouisione Cappellaniarum, quas contrà dispositionem Sacrorum Canonum, & Cbncilij Tridentini indebitè detinebat occupatas, quodque etiam indigebat condonatione fructuum ex dictis Cappellanijs perceptorum; hinc tertiam porrexit in Dataria Apostolica supplicationem, de qua in *Summ. Additionali num.7.* Et in ea sub narratiua, quod ipse ordinaria auctoritate, & sinè dispensatione prouisus fuerat de tertia Cappellania, quam iuxtà formam Decretorum Sac. Concilij indebitè possederat, quodque subindè fuerat auctoritate Apostolica prouisus de Canonicatu, & Præbenda in Sancta, & Patriarchali Ecclesia Hispalen., nullâ factâ mentione de dictis tribus Cappellanijs, quas possidebat, supplicauit Summo Pontifici, quod illi concederet ex integro Gratiam dd. Canonicatus, & Præbendæ, & insupèr nouam Prouisionem dictarum Cappellaniarum cum dispensatione illas retinendi; Et supplicauit etiàm pro condonatione fructuum indebitè perceptorum ex dictis Cappellanijs, *Summ. Additionali num.7.*; Cumque ex parte Reuerendissimi Capituli facta fuisset Instantia prò laceratione huius tertiæ supplicationis ex parte Aduersarij porrectæ, Eminentissimus Prodatarius paritèr remisit prò simplici voto ad hanc Sacram Congregationem Particularem, àn esset signanda hæc tertia supplicatio, vt ex decreto interposito, de quo in *Summ. Addit.n.8.*; Cumque iuxtà formam dictorum Decretorum sit in hodierna Particulari Congregatione examinandum prò voto; An sit concedenda ex integro prouisio Canonicatus, & Præbendæ dicto D. Ascentio Polo, speramus esse rescribendum, illam non esse concedendam.

Non enim credimus esse exaduerso insistendum super Signatura Supplicationum *Perindeualere*, nàm illæ nullatenùs sunt signandæ, tùm ex ratione, quod quoties prima Gratia est nulla ex omissione eorum, quæ sunt de Iure exprimenda, tùnc Gratia *Perindeualere* non sustinetur, nec concedi potest, sed requiritur, vt Summus Pontifex de nouo, & ex integro Beneficium prouideat, vt probant *Corrad. in prax. Dispensat. lib.8. cap.5. num.40. vers. Nec tamen*, *Paris. dè resignat. lib.8. quæst.11. num.46.* plenè *Lotter. de re benefic. lib.2. quæst.54. num.53., & seqq.*, *Tondut. quæst. Benefic. cap.4. §.4.* = *Intellige hoc verùm quandò principalis Gratia nondùm est collapsa, nàm si ipsa nullitatis, aùt obreptionis vitium habeat, aùt Causæ defectum patitur, sanè sicùt prima, & principalis gratia nulla est; ità, & corruet ista accessoria* = & meliùs *Lotter. dè re benefic. d. quæst.54. num.53. vers. Quo circà* ibi = *Si enim literæ*

 sup-

supponantur nullæ ex subreptione , aùt obreptione , aùt quæ potuit mouere,vel remouere Papam non ex veritate determinatâ à Iure communi , quo casu necessaria est noua Prouisio = Ros. de execut. litter. Apost. par.1. cap.6. num.333. ibi = *Lotterius , Corradus, Tondutus, & alij docent,quod Gratia Perindeualere supponat validitatem primæ Gratiæ , & literas esse validas , sed tamèn dubitari de illarum validitate , ob aliquem defectum commissum , seù tacitam qualitatem , itaùt si prima Gratia sit omninò nulla , Perindeualere , quæ est Gratia successiua ad primam,etiàm corruat*=;Idemque probat *Amayden. de styl. Datar. lib.1. cap.7. num.55. , & 56.* , & præcedenter dixerat *num.40. , & seqq. Paris. de resignat. lib.8. quæst.11.à nu.46.* In hac enim materia illa est recepta distinctio , quod scilicèt aùt prætenditur sanari gratiam,super qua oriri potest dubitatio,àn sit valida , vel inualida , & tùnc Gratia potest reualidari per Gratiam *Perindeualere* , aùt gratia est patentèr nulla ob non expressionem eorum , quæ debent de iure exprimi , itaùt si non exprimantur Gratia sit de Iure nulla & tùnc prima Gratia patenter , & euidentèr nulla non reualidatur per Gratiam *Perindeualere* , sed est necessaria graria ex integro , vt probant prædictæ Auctoritates , & ratio est , quià *Perindeualere* habet similitudinem quarumdam Contignationum , seù Pessularum , quæ Ædificijs infirmis ruinam minantibus apponuntur substentationis gratiâ , vt probant Sarnen. *super regul. de non indican. iuxt. form. supplicat. quæst.7. num.4. Corrad. in prax. Dispensat. lib.8. cap.5. num.39. Rosa de execuc. liter. Apostol.* ; Vndè quemadmodùm Contignationes , & Pessulæ non possunt apponi,quotiès Domus est totalitèr diruta , ità quoque Gratia *Perindeualere* concedi non debet, quotiès gratia est patentèr nulla, & quemadmodùm quotiès Domus est totaliter diruta , indiget nouâ ædificatione , ità Gratia , quotiès est totalitèr nulla , nequit à Gratia *Perindeualere* sanarj , sed hoc casu requiritur Gratia ex integro .

Tùm etiam quia ambæ supplicationes continentes Perindeualere sunt nullæ, & subreptitiæ , & in illis non fuit expressum id , quod exprimi debet , & nihilominùs ad hoc , vt Gratia *Perindeualere* substineatur, oportet, vt in illa omnes defectus exprimantur;Cùm Gratia *Perindeualere* sanet dumtaxat defectus narratos,non autèm sanet defectus non expressos , nam non extendit , sed confirmat Gratiam , & intentio Papæ non extenditur ad sanandum vltrà id, quod sibi narratur, nec est credendum Papam voluisse sanare defectus , quos ignorabat , vt plenè probat *Rebuff. in Prax. Benefic. par.2. de rescript. etiam valere num.37.* , *Amayden. de Styl. Datar. lib. primo cap.14. num.8.* , *Corrad. in Prax. Dispensat. lib.8. cap.5. num.42. & seqq., Rot. coram Seraphin. dec.1110. per tot., & coram Duran. decis.238. num.19. & 22. , & in Recent. decis.158. num.5. par. prima* .

Ijs-

Ijsdemque rationibus signari nequit secundùm Perindeualere, de quo *in Summario Additionali Num.5.*, quia illud etiam est defectuosum, quia in illo non sunt expressi omnes defectus, quibus prima Gratia Aduersarij inficiebatur; nam in dicto secundo *Perindeualere* non fuit expressum, quod duæ ex dictis Cappellanijs erant sub eodem tecto, quodque illæ sibi collatæ fuerant authoritate ordinaria, easque possederat absque vlla dispensatione Sedis Apostolicæ, quodque etiam tertiam Cappellaniam sibi Ordinariâ authoritate sine Apostolicâ dispensatione conferri obtinuerat; neque postulauit, aut supplicauit pro dispensatione, & compositione fructuum perceptorum: proùt omnes præmissi defectus debebant exprimi, vt illi potuissent per Summum Pontificem sanari, cùm in Gratia *Perindeualere* sanentur dumtaxàt defectus expressi, non autem alij non expressi, qui Gratiam inficiunt.

Iure itaque merito credimus exaduerso non esse insistendum super Signatura primi, aut secundi *Perindeualere*, sed quod totus conatus adhiberi debeat pro Signatura tertiæ Supplicationis, de qua *in Summario Additionali Num.7.*, quam non esse signandam rescribendum esse speramus.

Quandoquidem in hac Congregatione disceptandum est, an de Iure debeat dicta supplicatio signari, proùt fieri consueuit, quotiès Dataria Apostolica agnoscens difficultatem circa alicuius gratiæ concessionem, illam remittit ad Sacrum Rotæ Auditorium pro voto, ibique disceptatur, an de Iure gratia sit signanda, vt passim videre est in Rotalibus Decisionibus, itaùt Eminentissimus Prodatarius in tantum exquisiuerit votum huius Congregationis, ex quo non intendit Aduersario concedere nouam dicti Canonicatus prouisionem, nisi quatenùs de Jure, & iuxtà Juris tramites sit dicta Gratia eidem concedenda, nàm ex hac ratione exquirit votum ab hac particulari Congregatione, quia si voluisset ex mera gratia iterùm Canonicatum, & Præbendam Hispalensis Ecclesiæ concedere Domino Ascentio Polo, vtique non exquireret votum huius Congregationis; Idcircò in huius Articuli discussione inspiciendum est, an de Iure, & juxtà Iuris regulas debeat Aduersarius de Canonicatu in Ecclesia adeò insigni prouideri, & speramus negatiuè esse rescribendum.

Cùm enìm pro legitima Prouisione Canonicatus in Ecclesia Cathedrali requiratur eximia Literatura, & scientia, vltrà alias animi Dotes, vt est *Text. expressus in cap. Inter cætera de offic. Ordin.*, ibi = *Præcipimus, in Cathedralibus Viros idoneos ordinari, quos Episcopi possint Coadiutores, & Cooperatores habere* = Vbi scribunt omnes Canonistæ firmantes, pro Canonicatibus Ecclesiæ Cathedralis requiri non quidem eminentem scientiam, sed scientiam mediocrem, ibique Canonistæ exclamant contra Episcopos, qui in

 Ca-

Cathedralibus Ecclesijs indoctos, & non Magistros in scientia instituunt, præsertìm *Bellamer. circa fin. in verb. Cooperatores*, ibi = *Cooperatores. Contrarium faciunt Episcopi nostri temporis, qui ædificant parietes, & columnas subtrahunt* 12. *quæst*.2. *Can. Glor.*, *& Cæci offerunt Animalia, indoctos loco Doctorum ordinant, & Magistros faciunt qui vix possunt dici Discipuli* = Idemque firmat *ibi Hostien.*, *Ioan. Andr.*, & probat quoque *Panormitan. num*.2., ibi == *Vltimo nota, quod in Ecclesijs Cathedralibus non debent institui Viri indocti, vt hodiè inoleuit abusus, sed potiùs Viri docti, & instructi* == Idemque probat *Hostien. in cap*.2. *de Institut.*, quod scilicèt in Ecclesijs Cathedralibus institui debent in Canonicos Homines eruditi, & literati; Hæc enìm est differentia inter Beneficia inferiora, & Canonicatus, quia in Beneficijs inferioribus possunt prouideri Personæ, at pro Canonicatibus Ecclesiæ Cathedralis debet prouideri Ecclesijs, & non Personis, *Card. in Clementin*.2. *num*. 13. *de Offic. Ordinar.*, *Franc. de Eccles. Cathedralib. cap*. 22. *num*.106. ibi == *Constituit quemmaximam inter Prouisos ad Cathedrales, & prouisos de Beneficijs inferioribus differentiam; in istis prouidetur Personæ, in illis prouidetur Ecclesiæ*.

Quodque ad hoc, vt quis dicatus idoneus pro Canonicatu in Ecclesia Cathedrali requiratur scientia mediocris, probant *Menoch. de Arb itr. centur*.5. *cas*.425. *num*.45., *Gonzal. ad regul*.8. *Cancellar. gloss*.4. *num*.69. & 70., *Murg. de Benefic. quæst*.3. *num*. 808. ibi = *Pro Canonicatibus, cùm teneantur dare votum in Capitulo, atque consilium in rebus agendis, pro quibus necessaria est prudentia, & industria, ideò requiritur scientia mediocris, præsertim in Ecclesijs Cathedralibus, in quibus Canonici sunt de corpore Episcopi, nam ipse Caput est, Canonici verò membra, cap. Nouit de his, quæ fiunt à Prælat., eique debent adesse, & præstare consilium* = Idemque probat *Pax Iordan. lib*.10. *tit*.22. *de Prouis. Benefic. num*. 17. ibi = *Pro Canonicatibus, cùm teneantur dare votum in Capitulo, atque consilium in rebus agendis, pro quibus necessaria est prudentia, & industria, ideò requiritur scientia mediocris, præsertim in Ecclesijs Cathedralibus, in quibus Canonici sunt de corpore Episcopi, nam ipse Caput est, Canonici verò membra, eique debent adesse, & præbere consilium* = *Lotter. de re benefic. lib*.2. *quæst*.50. *num*. 13. ibi = *Quo fit, vt ex examine ad Canonicatus in Cathedralibus semper requiratur, vt vltra scientiam in Literis, vlteriùs ità profecerit, vt suo consilio possit aliquando Ecclesiam, & Episcopum iuuare, nè contingat ad Capitulum duci Oues, & Boues* == *Frances. de Eccles. Cathedralib. cap*.22. *num*. 110. ibi == *Secundò in Cathedralibus diuersa est ratio negociorum, nam cùm Capituli consilium requirere teneatur Episcopus in arduis, iuxtà totum Titulum de his, quæ fiunt à Prælat. sine consensu Capituli in Decretal.; & in 6., quod neutiquam in inferioribus*

ribus Ecclesijs conuenit, meritò hac ratione idoneitas saltem mediocris scientiæ requiritur ad Canonicatum Ecclesiæ Cathedralis.

Ad effectum autem sciendi qualis sit ista scientia mediocris, quæ requiritur pro idoneitate ad Canonicatus Ecclesiarum Cathedralium, illa desumitur ex authoritate eorumdem Doctorum, quì illam mediocrem scientiam requirunt, & in tres species scientiam distinguunt; Alia enìm dicitur scientia eminens, alia mediocris, alia sufficiens, & scientia eminens dicitur illa, per quam quis scit difficillimas quæstiones explicare, & definire ex tempote sinè reuolutione Librorum; *Mediocrem scientiam dicitur illum habere, qui cum deliberatione, & reuolutione Librorum veritatem scit inuenire*; Scientiam verò sufficientem dicitur habere, qui sibi sufficit ad ea, quæ sibi imminent expedienda; quam distinctionem desumunt ex *Innocentio in cap. Cum in cunctis num. primo, ibique Hostien. num.15. ad finem, Ioann. Andreas num.12., Butr. num.9. 10. & 11., Abbas num.4., Dec. à num.13. ad 17.*, quos refert, & sequitur *Gonzal. ad regul.8. dicta gloss.4. numer.81., 82., & 83., Murg. de Benefic. dicta quæst.3. num.802., & 803., Pax Iordan. dicto tit.22. num.6., & libr. primo tit. 19. num. 45., Peyrin. tom. 2. de Prælat. quæst. 2. cap. 2. namer. 6.*, & passim apud alios.

Idque ex pluribus rationibus firmant Doctores supra allegati; nam Canonici Ecclesiæ Cathedralis constituunt Senatum Ecclesiæ, & faciunt vnum Corpus cùm Episcopo, vt plenè probat *Sarau. de adiunct. quæst.1. n.18.*; Dicuntur Clerici primi gradus, vt prosequitur ibidem *n.34.*, & Episcopus tenetur ardua suæ Ecclesiæ cum consilio sui Capituli determinare.

Et proindè requiritur scientia mediocris, & magna prudentia, vt quis dicatur dignus Canonicatu Ecclesiæ Cathedralis, vt probant communitèr DD. superiùs laudati.

Alia ratio est, quia in Ecclesia Dei Canonicatus in Cathedralibus Ecclesijs introducti fuerunt pro decore, & splendore Ecclesiarum, & ad conseruandam Ecclesiasticam Disciplinam, vt probant *Rodericus Episcopus Zamoren. in Specul. Vit. human. cap. 19., Oldrad. consil.259. num.3., Serau. de Adiunct. quæst.21. num.15., Francesc. de Eccles. Catredral. cap. 14. à num.92. ad 98.*; Ideò in Ecclesijs Cathedralibus institui debent in Concanonicos Viri docti, & literati, qui Ecclesiam possint illustrare, vt rectè consideratum fuit in statuto fundamentali Ecclesiæ Hispalen., de quo *in Summario principali Num. primo in fine litt. A.* ibi == *Per ipsos enim decorabitur Ecclesia, & multiplicitèr in spiritualibus, & temporalibus suscipiet incrementum, nam per Viros Literatos Ecclesiæ illustrantur* == Ecclesia enim indiget Viris Literatis, *cap. Cùm & 34., ibique Io: Monach. n.1. de Elect. in 6.*, cum alijs adductis per *Gonzal. ad regul.9. gloss.4. n.4. & 5.*

 Indu-

Indubitantèr in casu nostro, quia non agitur de Ecclesia, in qua Episcopus præscripsit præeminentias, & Iurisdictiones, quæ de Iure competunt Capitulo Ecclesiæ Cathedralis, sed agitur de prouisione Canonicatus Ecclesiæ Cathedralis, Metropolitanæ, & Patriarchalis Hispalen., cuius Capitulum non solùm gaudet, & nunquàm amisit illas prærogatiuas, Iura, & Jurisdictiones, quas Ius commune tribuit Capitulis Ecclesiarum, sed vltrà illa gaudet pluribus alijs Iurisdictionibus, propter quas in Canonicis requiritur major scientia, & prudentia; Nàm Canonici Sanctæ Ecclesiæ Hispalen. sunt exempti à Iurisdictione Ordinarij, & singulis annis, juxtà formam præscriptam à Sacro Concilio Tridentino, deputare debent duos Canonicos adjunctos, qui insimul procedere debent in causis criminalibus cum Archiepiscopo, habent Ius corrigendi delicta læuia; gaudent simultanea collatione Præbendarum, & Beneficiorum Ecclesiæ Hispalen. etiam in mensibus Apostolicis, quotiès Archiepiscopus est Cardinalis, vt fuit decisum in dicta Hispalen. Diuisionis simultaneæ; Gaudet Reuerendissimum Capitulum Ecclesiæ Hispalen. Iure visitandi cumulatiuè cùm Reuerendissimo Archiepiscopo omnes Ecclesias subjectas, seù quocumque modo dependentes ab Ecclesia Cathedrali; habet plures, & laboriosas administrationes, nàm administrat Bona Fabricę, cuius redditus ascendunt ad quadraginta ferè millia scuta; administrat omnes Decimas Archiepiscopatus priuatiuè quoad Archiepiscopum; habet administrationem omnium legatorum, & Cappellaniarum fundatarum in dicta Ecclesia Cathedrali; habet administrationem, & Curam Hospitalium, Monialium, & alias quamplures, quas difficilè esset connumerare; adeoùt si in qualibet Ecclesia Cathedrali pro idoneitate Promouendi est necessaria industria, scientia mediocris, & prudentia, vltrà bonos mores; præcitata requisita requiruntur pro idoneitate ad Canonicatum Sanctæ Ecclesiæ Hispalen., nam quilibet debet habere talem scientiam, quæ possit explere ea, quæ suo muneri incumbunt, & oneri Beneficij, quod habet, & secundùm Dignitatem, statum, & officium, ad quod debet assumi, vt *Can. primo, & per tot. 23. distinct.*, & plenè probat *Gonzal. ad regul. 8. Cancellar. dicta glos. 4. num. 75.*; Et quemadmodum turpe est alicui ignorare artem, in qua versatur *leg. Professio tua, Cod. de muneribus Patrimon. lib. 10.*, cum alijs adductis per *Gonzal.* vbi suprà *nu. 56.* = *ità & verecundum est aliorum ex manibus quærere, quod apud se inueniri debet*, vt ad propositum scripsit *Innocentius IV. in cap. Cùm in cunctis sub num. primo de Elect.*, quem communitèr sequuntur *Canonistæ*, quos refert, & sequitur *Gonzal.* vbi supra *num. 77.*; Cùm autem in Capitulo nostræ Sanctæ Ecclesiæ quotidiè occurrant negocia grauissima, ob multiplices administrationes ascendentes ad annuam summam tercentum millia scutorum, & vltrà monetæ Ro-

manæ

manæ, & ob multiplices Jurisdictiones, quas exercent, & in arduis quoque consilium dare debent Archiepiscopo, tam pro negocijs Archidiœcesis, quàm totius Prouinciæ, meritò in illo institui debent Viri insignes in literis, & scientijs, & non debet quilibet Sacerdos admitti.

Indubitantèr, quia Ecclesia Hispalensis Canonicis suæ Ecclesiæ concedit redditus conspicuos ascendentes annuatim ad summam mille, & centum scutorum monetæ Romanæ, vltrà manualia, & extraordinaria, & proindè Canonicatus Ecclesiæ adeò insignis, & qui tàm conspicuos redditus tribuunt, meritò conferri debent Personis literis, & scientia conspicuis non solùm, vt isti suorum laborum retributionem consequantur, sed vt Ecclesiam illustrent, vt prosequitur *Gonzal. ad dictam Regul. 8. gloss. 4. à num. 5. ad 17.*

Tantòque magis RR. PP. debent inspicere, an Dominus Ascentius sit dignus, vt prouideatur de Canonicatibus in Ecclesia Hispalen., quia Collatores conferentes Beneficia habentibus defectum scientiæ competentis, seu aliàs indignis indignitate Juris, non solùm peccant mortalitèr, sed etiam tenentur Ecclesiæ de damno, & interesse, vt infinitis auctoritatibus firmat *Garzias de Benefic. par. 7. cap. 4. tit. de scient., & literat. num. 24., & 25.*; Et proindè hæc Sacra Congregatio Particularis, à quo Eminentissimus Prodatarius petit Votum, an Aduersario sit signanda de Iure supplicatio nouæ Prouisionis, id debent principalitèr cognoscere, an Aduersarius sit dignus, habeatque requisita necessaria, quæ illum dignum constituant pro habendo Canonicatu in Ecclesia Cathedrali, Metropolitanâ, & Patriarchali, ac adeò insigni, qualis est Ecclesia Cathedralis Hispalen., cùm omnia Iura clament, Beneficia esse prouidenda Benemeritis, & Idoneis, *cap. Cùm graue de Præbend., cap. Ex parte in fin. de Constit., cap. Ad decorem de Instit., cap. Is, cui de Præbend. in 6.*

Hìnc est inspiciendum, àn Aduersaius doceat se habere talem industriam, talem prudentiam, & talem scientiam, quæ requiritur dè Iure, vt quis dicatur dignus ad hoc, vt in Ecclesia Cathedrali, Metropolitana, & Patriarchali instituatur, siuè vt promoueatur ad Canonicatum Ecclesiæ Cathedralis.

Iàm in altera Facti supèr Executione Literarum Apostolicarum D. Ascentij Polo plenè probauimus, eundem esse simplicem Sacerdotem de vili Oppidulo Villarasa, de Rusticorum progenie, & vilissimâ Familiâ etiàm notatâ aliquâ infamiâ, proptèr delicta commissa à suo Fratre; Neque valet negare, quod à pueritia vsque ad annum 1707., quo ab Vrbem se contulit, inseruiuit vni ex Canonicis nostræ Sanctæ Ecclesiæ in Officio, quod ibì nuncupant *Paggio*, quod officium correspondet eidem, quod in Vrbe vocant *Aiutante di Camera*; Idque tamquàm publicum, & notorium

 etiàm

etiam in Vrbe, non indiget Iustificatione; nec credimus posse exaduerso controuerti, aut negari.

Remanet vlteriùs inspiciendum, an requisita exaduerso exhibita sint tantæ efficaciæ, vt illum dignum constituant controuersi Canonicatus.

Primò igitur Pars aduersa produxit attestationem Rectoris, & Cancellarij Collegij Maioris, & Scholæ publicæ S. Thomæ Aquinatis Hispalen. Ordinis Prædicatorum, & aliorum duorum Religiosorum eiusdem Collegij sub datum in eadem Ciuitate Hispalen. die 9. Septembris 1716. in qua testantur, = *quod D. Ascentius Polo olìm in dicto Collegio per tres annos cursum Artium laudabilitèr exercuit, cum odore bonæ vitæ, & fragantiâ bonorum morum, quìn in oppositum aliquid fecisset, nec ad ipsos peruenisset* = *Sunt præcisa verba dictæ Attestationis, Summ. Additionali Num.* 8.

De hac autèm attestatione nulla est habenda ratio, primò quià fuit extorta lite pendente; & est mera attestatio extraiudicialis, quæ nihil probat; Secundò quia non constat, quod dicti Religiosi olìm, & eo tempore, quo testantur ipsum studuisse cursui Artium, essent Lectores, aut Studentes in dicto Collegio, itàut deponere possint dè certa scientia, aùt de visu, cum D. Aduersarius se contulerit ad Vrbem dè anno 1707., & sìc testantur de re excedente decem annos, quo tempore præsumitur obliuio; nec deponunt, quod Aduersarius per tres annos continuos in dicto Collegio studuerit studio Artium, cum id possit verificari, quod in decursu trium annorum paucis vicibus ad audiendas Lectiones Artium se contulerit; Præsertìm quià cum Reuerendissimum Capitulum in partibus coram Executore obiecerit defectum Literaturæ, & scientiæ, ac allegauerit esse publicum, & notorium in Ciuitate Hispalensi, vbi sempèr commoratus fuit, quod dumtaxàt Grammaticæ studuisset, in qua mediocritèr profecerat, vt liquet ex *Summ. principali Num.* 14. *litt. D.*; Aduersarius ausus non fuit coràm Executore prædictam attestationem non iuratam producere, quià facilè potuisset veritas innotescere, sed illius productionem reseruauit facere in Vrbe; Et proindè eò minùs est fides adhibenda, & contrariam præsumptionem resultantem ex Serotina productione.

Præterea non deponunt, quod in studio Artium profecerit, proùt est necessè iuxtà Doctrinam Lotterij, cuius verba superius transcripsimus; Vltraquod studium Artium, non est illud studium, quod requirunt Doctores in Promouendo ad Canonicatum in Cathedrali, quià studium Artium coarctatur ad studium Summularum, & ad summum Logicæ, quæ sunt introductiuæ ad scientias; non autèm constituunt Hominem scientificum, & literatum, vt satis notū est; Et proindè ex ista attestatione potest ad summū desumi qualitas bonæ vitæ, ad quam videntur se restringere dicti

Reli-

Religiosi; Neque studium Summularum, aut Logicæ aptum est constituere aliquem mediocritèr literatum eâ mediocritate, quā requirunt Doctores, vt scilicèt possit quascumque difficiles quęstiones cum Librorum aperitione doctè examinare, & determinare, proùt suprà probauimus.

Alia attestatio exaduerso exhibita est attestatio P. Thomæ Gloria Superioris Domus Congregationis Missionis de Vrbe, qui testatur Aduersarium à die 27. Nouembris anni 1707. vsque ad diem 21. Augusti 1709. commoratum fuisse in dicta Domo, ibique frequentasse exercitia Ecclesiastica Pietatis, & Literarum fieri consueta in dicta Domo, in qua satis notum est non adesse scholas, in quibus scientiæ doceantur, & in quibus quis possit scientias addiscere, & paritèr dicta attestatio, de qua *in Summ. Additionali Num. 9.*, potiùs videtur solùm probare, Aduersarium esse Sacerdotem bonæ vitæ, quæ tamèn sola non sufficit prò idoneitate ad Canonicatus in Ecclesijs Cathedralibus, in quibus, vltrà morum honestatem, requiritur scientia, & literatura, itaùt vna sinè alia non sufficiat, vt sunt *Text. in cap. cum in cunctis de Elect. in princip.* ibì = *ætatis maturitas, grauitas morum, & litterarum scientia inquirenda = Cap. Innotuit. eodem tit:* ibì = *inducere videbantur literarum scientia vitæ virtus, & fama Personæ = Cap. Graue nimis de Præbend. Clement. I. dè ætat., & qualitat.*, *& Sac. Concilium Tridentinum in sess. 24. cap. 18. dè reformat.*, & passìm apud Doctores, qui recensent requisita necessaria prò idoneitate ad Beneficia, & Canonicatus, & prosequitur *Gonzal. ad regul. 8. gloss. 4. num. 108., & seqq.* Neque Doctrina, & literatura necessaria arguitur ex tali quali studio, quià prò illa acquirenda opus est multùm studere, diù, noctuque sudare, & passìm facere mensam de libris, *ad Gloss. in l. vnicuique verb. Parum obseruasse Cod. dè Prax. Sacr. Serin. lib. 12. Gonzal. ad regul. 8. Cancell. gloss. 4. num. 35.*

Et quidèm, Reuerendissimi PP., quidquid sit dè prædictis attestationibus, àn aliquam constituant probationem circà studium Summularum, aut Logicæ, certum est, quod ex illis non potest desumi probatio illius scientiæ, & literaturæ, quæ requiritur, vt quis dicatur idoneus ad Canonicatus Ecclesiæ Cathedralis, & multò minùs ad Canonicatum Patriarchalis, & Insignis, qualis est Ecclesia Hispalen.; Cùm cęteroquìn veritas sit, quod Aduersarius vìx est mediocritèr instructus in sola Grammatica, nec vnquàm alicui scientiæ studuit, idque potest examine comprobari, quod semper est necessarium, quotiès non habet attestationem idoneitatis à suo Ordinario ad Canonicatus Ecclesiæ Cathedralis.

Prætereà Aduersarius non est dignus Canonicatu nostræ Ecclesiæ, cum non habeat gradum Doctoratus iuxtà formam Statuti fun-

da-

damentalis nostræ Sanctæ Ecclesiæ, de quo in *Summario principali Num. primo*, vt probaui in mea Facti supèr Articulo Executionis Litterarum Apostolicarum, prò qua deputata reperitur hæc particularis Congregatio, vt liquet ex Commissione, de qua in *Summ. Additionali Num.* 2.

Præmissa sufficerent, nè detur Votum ab Eminentissimo Prodatario requisitum supèr Signatura Gratiæ prouisionis Canonicatus ex integro, nunc autèm probare aggredimur, deficere illam prudentiam, & industriam, quæ paritèr requiritur vt quis dici possit idoneus prò Canonicatu Ecclesiæ Cathedralis, vt probant auctoritates superiùs adductæ; Et quidèm defectus huius prudentiæ, & industriæ facilè depræhendi potest ex ijs, quæ in principio, & in progressu huius Causæ euenerunt; Et primò Aduersarius ad extorquendam Canonicatus prouisionem exposuit Summo Pontificio illas prærogatiuas, quibus in totum erat destitutus, nàm exposuit esse dè nobili genere procreatum, cum ipse rectè sciret esse procreatum dè Genere rustico, & plebeo, prout fateri coactus fuit in secunda supplicatione *Perindè valere*, quam præsentauit in Dataria Apostolica, de quo in *Summario Additionali Num.* 4. ibi = *Per errorem narrauerit esse de nobili genere procreatum, cùm tamèn non sit de nobili genere procreatus* = quasi quod dari possit error in facto proprio, & in scientia propriæ originis; Secundò narrauit studuisse Phylosophiæ, & Theologiæ Morali contrà facti veritatem; Quod quidèm factum ostendit summam illius imprudentiam, & crassam ignorantiam, cum sciros deberet, literas subreptitias, & obreptitias ipsi non posse suffragari, quodquem maximum sit malum Principem decipere prò extorquenda Canonicatus prouisione, quod scire debuisset, si Theologiæ Morali operam dedisset, cùm Theologia moralis doceat, quod indignus indignitate Iuris acceptans Beneficium peccat, & tenetur ad fructuum restitutionem, vt communitèr docent Moralistę, nempè *Cosm. Philiarc. de offic. Sacerd.* 2. *part. lib.* 4. *cap.* 22. *versic. ratione Beneficiorum. Sot. dè Iust.*, *& Iur. lib.* 4. *quæst.* 6. *art.* 3. *ad* 6. *conclus.* 1., *Mercad. in Summ. lib.* 6. *cap.* 17., *P. Tedesm. in Summ.* 2. *part. tractat.* 7. *cap.* 1. *conclus.* 15., & passim apud alios Moralistas.

Secundò, quià non sinè dolo tacuit Beneficia, quæ possidebat, supèr quo paritèr nullam ignorantiam allegare potest; tùm quià notum est, quod Eminentissimus Prodatarius singulis annis edicto publico, quod affigitur in Dataria Apostolica, monet Prætendentes in Curia morantes, vt in Memorialibus, quæ præsentant prò Beneficiorum prouisione, explicitam faciant mentionem de Beneficijs, quæ possident, & eorum qualitatibus, & nihilominùs Aduersarius in memoriali, quod porrexit, vt prouideretur de controuerso Canonicatu contrà Iuris dispositionem, & contrà

pu-

publicum Edictum Eminentissimi Cardinalis non curauit mentionem facere de Beneficijs, quæ possidebat, & de qualitate eorum iniustæ, & indebitæ occupationis, quod factum ostendit maximam illius imprudentiam, & ignorantiam Theologiæ moralis, cui exposuit se studuisse, quià quilibet prudens curare debet, vt legitimo titulo de Beneficio prouideatur.

Tertiò, quià Aduersarius erat destitutus medijs prò facienda Canonicatus expeditione, itaut coactus fuerit magnam suscipere pecuniarum summam sub grauibus vsuris prò facienda Literarum expeditione; vndè poterat præuidere, quod expediendo literas obreptitias, & subreptitias facilè ei non fuisset habere Canonicatus possessionem, & cum damno Tertij se intrudere in possessione Canonicatus. Quod autèm Aduersarius esset medijs destitutus prò facienda Literarum expeditione, ex eo patet, quod Literas Apostolicas oppignorauit prò summa scutorum 4000. circitèr, & illas non potuit expignorare ab Anno 1709. quo illas expediuit, nisi vsque ad finem Anni 1715. Idque ex eo, quod comperijt Mercatorem Peruanum negotiorum cupidum, qui Aduersario sub grauibus vsuris pecunias subministrauit prò Bullarum expignoratione, spe inani adductus, quod quantocitiùs sortem, & fructus posset recuperare post captam ab Aduersario Canonicatus possessionem, & sic tot debitis se subjecit, quamuis non possideret, neque Domum, neque Agrum, exceptis Cappellanijs, quas iniustè detinebat occupatas.

Quartum imprudentiæ argumentum desumitur ex eo, quod licèt Reuerendissimum Capitulum sè opposuerit Literarum Apostolicarum executioni, tùm ad euitandum vitiosum ingressum, tùm quia Aduersarius non erat qualificatus iuxtà formam Statutorum Ecclesiæ Hispalen., & allegasset vitia subreptionis, & obreptionis, adhuc tamèn non defecit ex sua benignitate illum allicere ad honestam cõcordiam, qua offerebat comperijsse Personam, quæ sub Beneplacito Sedis Apostolicæ ei non solum restitueret summam, qua fuerant oppignoratæ Literæ Apostolicæ, ascendentem ad summam 4000., & vltrà scutorum, sed etiàm offerebat annuam Pensionem scutorum 600. monetæ Romanæ, si Canonicatum illi resignaret, exemplo aliorum Duorum, qui eodem anno subreptitiè, & obreptitiè prouisi fuerant dè alijs duobus Canonicatibus, & respicientes Reuerendissimi Capituli imminentem contradictionem, sub eisdèm legibus suos Canonicatus resignauerant, quamuis non essent, neque ità inopes, neque ità indocti, prout Aduersarius, qui, reijciendo concordiam adeò honestam, præbuit maximum suæ imprudentiæ argumentum, dùm per dictam Concordiam non solùm liberatus remanebat à Debitis sub grauibus vsuris contractis, sed consequebatur, habitâ ratione ad statum suæ Personæ, satis amplàm substentationem, qua sibi,

&

& suæ Familiæ pauperrimæ consulere poterat, & se eximere tàm à continua Canonicatus residentia, quàm à splendida, & conspicuâ substentatione, qua se gubernant, & regulant in Ciuitate Hispalen. Canonici illius S.Ecclesiæ.

Quintum, quià post aduentum ad Vrbem, vbi credimus Aduersarium fuisse plenè instructum à suis Defensoribus de suæ prouisionis patenti subreptione, & obreptione, vt ostendunt tot supplicationes de eorum consilio oblatæ in Dataria Apostolica; Dominus Commissarius Reuerendissimi Capituli nullum medium intactum reliquit, vt Aduersarium ad concordiam induceret, & interposuit Illustrissimum, & Reuerendissimum D. Auditorem Sanctissimi, qui obtulit easdem conditiones in partibus oblatas, & adhuc hanc oblationem respuit, & reprobauit, nàm cum ipse Aduersarius sciret apertissimam sui Tituli nullitatem, itaut nouâ Gratiâ indigeret, maluit se exponere amissioni totius, quàm honestissimam, & satis proficuam concordiam acceptare; cùm nihilominùs Prudentes, etiàm cum propria iactura, soleant in rebus dubijs transigere, nè res suæ à litis euentu dependeant, & eo ipso Transactio dicitur vtilis, quod per Transactionem à lite, in qua animus vexatur, & opes dilabuntur, receditur, *leg. prima Cod. de pact.*, & plenè probat *Vrceol. de Transact. quæst. 15. num. 25.*

Estque adeò ignauiâ, & imprudentiâ obrutus D. Ascentius Polo, vt licèt admonitus fuisset à suis Defensoribus dè nullitate suæ Prouisionis, ob non obtentorum expressionem, eique consuluissent, quod indigebat Gratia *Perindè valere*; adhuc tamèn nesciuit Expeditionerium certiorare dè numero, & qualitate Beneficiorum, quæ possidebat, dùm apparet tres supplicationes fuisse porrectas, in quarum prima Aduersarius narrabat, quod dè tempore Prouisionis mentionem non fecerat dè duobus Beneficijs, quæ possidebat, vt ex *Summario Additionali Num.3.*, quamuis in partibus Executori medio Iuramento declarauerat, quod ipse de tempore Prouisionis possidebat tria Beneficia, vt ex *Summario principali Num. 14.*; Et quamuis subindè fuisset admonitus, qnod tria essent Beneficia, quæ ipse possidebat; adhuc occultauit eorum qualitatem, & iniustam detentationem, seù intrusionem, vt liquet ex secunda Supplicatione *Summario Additionali Num. 4.* itaut subindè coactus fuerit porrigere tertiam Supplicationem nouæ Prouisionis, seù prouisionis ex integro ità ostendendo, quod nesciebat illud tritum adagium, quod Confessario, Medico, & Procuratori sit sempèr propalanda veritas, vt rectè possit curari.

Præthereà etiamsi Aduersario concederetur hæc noua Prouisio, illaque executioni demandaretur, vtique nequit expediri minori impensa scutorum 4000., vt Reuerendissimi PP. à quolibet Expeditio-

ditionerio informare se poterunt, cum Aduersarius fassus fuerit in memorialibus porrectis Eminentissimo Prodatario, quod ipse grauatus reperitur pro litterarum expeditione, & pro litis prosecutione, itineribus factis in summa duplarum bis mille sub grauibus vsuris decem, aut duodecim pro centenario propter vitæ periculum, cum nihil habeat in bonis, & oporteat non solum reperiri, qui illi expensas huius nouæ gratiæ subministret, sed etiam illam reperire non poterit, nisi sub grauibus vsuris, itaùt facto prudenti calculo, Aduersarius etiamsi in omnibus prospero vento vtatur, adhuc nequit possessionem Canonicatus adipisci, nisi grauatus debito duodecim millium scutorum monetæ Romanæ, adeoùt fructus Canonicatus sufficere non possint prò solutione vsurarum dictæ summæ, & post adeptam possessionem Canonicatus, de quo tempore Creditores satisfactionem Capitulium, & vsurarum consequi volent, tunc aut oportebit, vt Aduersarius mendicare cogatur in opprobrium ordinis, & Ecclesiæ, cui esset adscriptus, aut oportebit, vt se defendat cum beneficio *Cap. Odoardus de solut.*, vt aliqualem congruam prò sui substentatione possit habere; quod summopere est ponderandum à Reuerendissimis PP., qui eorum summâ prudentiâ debent præ oculis habere decus Ecclesiæ adeò à SS. Canonibus commendatum.

Debent deniquè Reuerendissimi PP. in ha disceptatione considerare, quod D. Ascentius Polo non supplicat simplicitèr prò Canonicatus noua prouisione sed etiã suplicat pro noua prouisione Cappellaniarũ, & petit etiã dispensari super retentione Incompatibilium sub eodẽ tecto, & condonatione fructuum perceptorum; Et licèt supplicet prò vnica dispẽsatione ad effectũ retinẽdi duo vniformia sub eodẽ Tecto, nihilominùs incõsultò id agit, cum indigeat tribus Dispensationibus; Et quidẽ indiget Dispensatione, ad hoc vt de Canonicatu prouideatur, nàm cum ipse possideat auctoritate ordinariâ tres Cappellanias perpetuas, & collatiuas, dicitur incapax Canonicatus, prò quo supplicat, nàm obtinens plura Beneficia est inhabilis ad assequendum aliud Beneficium, *Cap. Ordinarij de offic. Ordin. in 6. cap. dudum. Il 2. dè Elect., & in Extrauagan. Execrabilis. §. Qui vero deinceps de Præbend., & notant Abb. in cap. iamdudum dè Præbend. num. 2. ibique Imolen. num. 7., & nouissimè doctissimus Fagnan. in dictoCap. cum iameudum num. 2. dè Præbend., & per tot. cap.*; Quo circà vt Aduersarius habens tria Beneficia, possit dè Canonicatu prouideri, oportet, vt Sedes Apostolica cum eo dispenset super retentione quarti Beneficij, vt prosequitur *Fagnan. in dicto cap. cum iamdudum dè Præbend. num. 2. vers.* Quod intellige.

Indiget secundâ dispensatione, vt possit retinere duo Beneficia sub eodem tecto, quæ Aduersario collata fuerunt ordinariâ auctoritate sine Dispensatione Apostolica, & adhuc ea retinet; Cumque

D.

D. Ascentius petat super hoc dumtaxat dispensari, cum hac solâ dispensatione indigere crediderit, hinc opus non est probare ipsum hac dispensatione indigere, & satis notum est, & absolutum etiam dè Iure, quod Episcopus non possit dispensare, vt quis retinere possit duo Beneficia vniformia sub eodem Tecto, vt per Io: *Andr. in cap. lIteras dè concess. Præbend. per tot.*

Indiget vlterius Aduersarius tertia Dispensatione ex quo obtinuit ordinariâ auctoritate prouideri dè tertio Beneficio, seù Cappellania, estque indubitatum, Episcopum ex sua ordinariâ auctoritate non posse tertium Beneficium conferre, sed prò tertij retentione requiritur Apostolica Dispensatio, tàm ex dispositione Iuris, vt per *Glos. fin. in cap. Ordinarij* §. *In conferendis dè offic. Ordin. in 6.*, *quàm ex dispositiene S. Concilij sess. 24. capr. 17. dè reform.*, *vt plenè probat Fagnan. in dicto Cap. cum iamdudùm dè Præbend. num. 69.* §. *Postremo*, *& num 70.*, *& 71.*, vbi testatur ità fuisse passim resolutum à Sacra Congregatione Concilij, & testatur quoque *Amayden. dè styl. Datar. lib. 1. cap. 7. num. 55.* ibi = *Hæc seeunda causa non videtur posse admittere dubietatem prò nullitate collationis Capituli, quando obtinenti duo, licèt insuffidientia, non potest conferre tertium, vt sepè declarauit Congregatio Illustrissimorum Sac. Concilij Tridentini Interpetrum ad sess. 24. cap. 17., quarum declarationum seriem habes apud Garz. dè Benefic. part. 11. cap. 5. §. 3. num. 310.* = Et post hæc prosequitur *Amayden.* ibi = *Et licet ex eo quod inferior Collator non possit conferre Tertium habenti duo, non potest sinè controuersia inferri collationem Tertij esse nullam, cum possit dici vacare duo priora, ad Text. &c., & sic postremam Collationem substineri, tametsi inferior Collator non decernat vacare priora, est nulla collatio Tertij, quià censetur contulisse ad retentionem, Garz. vbi suprà num. 311., & tunc huiusmodi Prouisus cadit omnibus, ex dispositione Cap. de mulcta* ibii = *Si utrũque retinere præsũpserit; quæ præsũptio oritur ex pacifica possessione; quæ Iura licèt loquantur in Dignitatibus, Personatibus, siuè Curatis, applicantur tamẽ hodiè cuicũque Beneficiorũ pluralitati, ob dispositionẽ Cõcilij Tridetini d. cap. 17. quod inducit similem incompatibilitatem ob plura simplicia, quam priùs induxerat in Dignitatibus, Personatibus, & Curatis, d. cap. dè mulcta, & cap. si plures. Ratio autem cur Collatio Secuudi facta habenti vnum non sit nulla, sed vacet primum, Collatio verò facta de Tertio habenti duo sit ipso Iure nulla, redditur per Glos. in dicto cap. Ordinarij. Verb. nullius, ideò videlicet, quod obtinens vnum non est dè Iure inhabilis ad obtinendum secundum, obtinens verò duo tamquàm spretor Canonum, est inhabilis, & certum est, ob inhabilitatem Impetrantis Collationem esse nullam* = *Hucusque Amayden. dè styl. Datar.*, qui ex dictis rationibus probat, quod si Ordinarius alicui obtinenti duo Beneficia conferat tertium; Collatio tertij sit nulla, ex quo obtinens duo sit dè

dè Iure incapax ad obtinendum Tertium, quodque proindè indigeat prouisione, & dispensatione Apostolicâ; quodue Ordinarius non possit habenti duo, Tertium, quantumuis modicum, conferre, probat *Pax Iordan. lib. 9. tit. 1. num. 403. §. Cauti sint itaquè Episcopi tom. 2.*

Non obstante, quod D. Ascentius in dicta tertia supplicatione mentionem faciat de omnibus Beneficijs, quæ possidet, & eorum qualitate; nàm dicta mentio saluare potest Gratiam à subreptione, inductâ à *Cap. si motu proprio, de præben.*, sed non inducit Summi Pontificis dispensationem supèr illorum retentione ad *Text. expressum in Cap. non potest, 21. §. final. de Præbend. in 6.* ibi = *Cùm verò tibi, non obstante quod aliud Beneficium obtinere noscaris, a Sede prædicta de aliquo Beneficio prouideri contingat, per hoc tecum vt primum Beneficium retinere valeas, non intelligitur dispensatum, hoc enìm solùm prædicta operatur expressio, quod facta tibi Gratia nequeat subreptitia iudicari* = super quo *Text.* plenè *Passerin.*, qui *infinitas allegat auctoritates.*

Probato ex prædictis, quod Aduersarius, vt legitimè prouideri possit de controuerso Canonicatu, indigeat tribus dispensationibus supèr pluralitate Beneficiorum, quià quot sunt obstacula, tot requiruntur dispensationes, vtique hæc prouisio cum dd. dispensationibus neque valet per Sedem Apostolicam Aduersario concedi, quià Summus Pontifex dispensationem supèr pluralitate Beneficiorum non concedit sinè causa, nàm Sac. Concilium Tridentinum in dicta *sess. 24. cap. 17.* prohibet expressè retentionem plurium Bonoficiorum, *quibuscumque dispensationibus non obstantibus*, & proindè, proptèr Sacri Concilij Tridentini obstaculum, non solent per Sedem Apostolicam dispensationes huiusmodi sinè causa concedi, & probatur etiam ex literali dispensatione *Text. in cap. de multa §. fin. de Præben.*, *& Dignit.* ibi == *Circà sublimes tamen, & literatas Personas, quæ maioribus sunt Beneficijs honorandæ, cùm ratio postulauerit, per Sedem Apostolicam poterit dispensari* == adeoùt Dispensatio supèr pluralitate Beneficiorum etiàm quoad Summum Pontificem requirit causam, aùt eximiæ nobilitatis, aùt magnæ scientiæ, vt plenè probat *Gonzal. Tell. in d. cap. de multa, num. 4. de Præbend.* ibi = *Semper tamèn in simili dispensatione faciendâ à Pontifice desiderari iustam causam supponitur in præsenti Textu, & deducitur ex Cap. Innotuit. Dè Elect.; Ideòque tàm Pontifex, quàm eius Legatus, vel Episcopus absque causa in hac pluralitate dispensando peccare læthalitèr docent Basil., & Boss. vbi suprà, eâ tamèn admissâ distinctione, vt Pontifex validè, licèt iniustè sinè causa dispenset; Inferiores verò Prælati non solùm inhonestè, verum*

rum etiam inutilitèr; *Causas autèm iustas ad dispensandum in pluralitate expressas habemus in hoc Text. illis verbis = Circà sublimes tamèn, & literatas Personas = in quibus duæ referuntur Causæ, videlicèt nobilitas, & Literarum peritia &c. vndè sufficit ad dispensationem, quod sit nobilis, aùt literatus, vt cum eo dispensari possit dummodò sit honestę vitę Cap. venerabilis. Hoc tit. quià causa Dispensationis non solùm suscipere debet vtilitatem Personarum, uerùm, & Ecclesiarum, quibus solent esse vtiliores nobiles, & literati, Can. Dispensationes. Et Can. Tali primo quæst. 7. = & probant Azor. Instit. moral. par. 2. lib. 6. cap. 12. quæst. 1. Oyed. de Incompatibilit. Benefic. Cap. num. 5.*, probat quoque *Fagnan. in d. Cap. de Multa num. 30.*, vbi dicit hanc fuisse opinionem *Ioan. Andr. in d. Cap. De multa num. 14.*, vbi transcripsit formulam, qua huiusmodi dispensationes per Sedem Apostolicam aùt nobilibus, aut Literatis concedi solent, *Rebuff. de Benefic. tit. de Dispens. ad plur. Benef. num. 4.*, *& seqq. Gambar. de Offic. legat. lib. 5. num. 137. Gonxal. ad regul. 8. Cancel. glos. 4. num. 26.* cum alijs pleno calamo relatis per *Barbos. in Collectan. ad d. Cap. de multa de Præbend.*, *& Dignit. num. 11.*, *& seqq.*, *& num. 15.*, *& seqq.*

D. Ascentius Polo Aduersarius nullâ ex præfatis duabus qualitatibus pollet, itaùt cesset legitima causa in eo dispensandi super Beneficiorum pluralitate, nàm non est Persona sublimis, siue dè nobili genere, cum ipsemet in secunda supplicatione. *Perindè valere* fassus fuerit, quod per errorem in prima Gratia Summo Pontifici narrauit esse de nobili genere procreatum, licèt non esset de Nobili genere procreatus, vt liquet *ex Summ. Addit. Num. 6.*, quodque sit dè Progenie vili, & rustica, liquet ex Processu criminali facto contrà suum fratrem.

Multoque minùs in Aduersario concurrit literatura eminens, quæ est altera causa, vt quis possit dispensari supèr Beneficiorum pluralitate, nàm, vt suprà probauimus, Aduersarius vix est medioritèr in Grammatica instructus, & nunquàm operam dedit studio scientiarum, vt plenè suprà fuit ostensum.

Vltra quod Sedes Apostolica ex causa literaturæ non concedit dispensationem super Beneficiorum pluralitate, nisi Dispensandi habeat gradum Doctoratus, Licentiaturę, seù Baccalaureatus in Theologia, vel Iure Canonico, vt de stylo Datariæ testantur *Rebuff. d. tit. de Dispensat. ad plur. Benefic. num. 44. Gambar. de Offic. legat. lib. 5. num. 138. Barbos. in collect. ad Concil. in Cap. de multa num. 15. de Præbend.* ibi = *Scientiam sinè gradu Doctoratus ad dispendandum non inducere, quià hodiè moribus receptum est, non dispensari cum Literatis, nisì habeant gradum Doctoratus, Licentiaturæ, siuè*

Bac-

Baccalaureatus in Theologia, vel Iurecanonico.

Cùm itaque Aduersarius neque habeat Gradum Doctoratus, aùt licentiaturæ in Theologia, aùt Iure Canonico, quinimò præfatis scientijs numquàm studuerit; meritò deneganda est ex Voto huius Congregationis Particularis Signatura prouisionis controuersi Canonicatus cum necessarijs dispensationibus.

Quare &c.

Vitus Angelus Caualletti.

CONGREGATIONE

PARTICVLARI

A SANCTISSIMO

DEPVTATA

RR. PP. DD.

MAREFVSCHO, ANSIDÆO, LANCETTA, HERRERA, ET SARDINO

Hyspalen. Canonicatus super Articulo Concessionis Gratiæ ex integro prætensæ à D. Ascentio Polo.

P R O

Illmis DD. Decano, & Capitulo Metropolitanæ, & Patriarchalis Ecclesiæ Hispalen.

C O N T R A

R. D. Ascentium Ximenez Polo.

S

Facti.

Typis De Comitibus 1717.